

Pembroke 25 Sermo 60 (fols. 131r–131v)

Adhuc tamen aliquid de hac eádem tam pulchra  
atque ~~pulchra~~ preclara festiuitate loqui incipiamus .  
quę non solum angelorum ut prædiximus spiritibus ; uerum  
etiam a sanctis omnibus qui in terra sunt ab exordio mundi  
procreati honorabiliter dedicata consistit . E quibus primi  
/131v/ fuerunt patriarche uiri religiosi ; atque gloriosi in uita sua .  
Patres prophetarum et apostolorum quorum memoria  
non derelinquetur . et nomen eorum manet in aeternum .  
quia deo digni inuenti sunt . fide preclari . hospitalitate  
precipui . Astuti in sensu . sapientes in opere . Créduli in pro  
missionibus . susceptores angelorum effecti . Facie  
ad faciem deum uidentes per dónum sancti spiritus . qui eos ad hęc  
omnia illuminauit ; Vt omnibus post se secutúris demon  
strarent deo semper fide recta oboedire . Obsecremus  
ergo fratres karissimi . ut licet meritis coaequari illis non possumus ;  
eorum intercessionibus in numero sanctorum confortes esse  
mereamur in regnis cęlestibus . Largiente domino nostro  
iesu christo . qui cum patre et spiritu sancto uiuiuit et regnat . in  
secula seculorum . amen .